

Petrus de Vinea

*Ep. II 22 (Cum ex zelo
purae deuotionis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 22 (Cum ex zelo
purae deuotionis...)*

luglio 1249

Cuidam nobili, ut reducat ad fidem uillam regimini suo commissam.

semper hactenus habuisse te nouimus, de tua industria et legalitate confisi, custodiam... uillae tibi fiducialiter recolimus commisisse, ut sicut eras inter alios in fide nostra precipuus, esses in eiusdem loci custodia specialis. 2. Cum igitur uilla ipsa, sicut nuper accepimus, a fide nostri culminis deuierit, tanto te propensius expedit circa ipsius uillae recuperationem modos exquirere, quanto confidentius de prouida retentione ipsius studio tuae circumspectionis inhesimus et quanto per hoc nostra quin tua potius utilitas procuratur. 3. Quocirca discretionem tuam requirimus et rogamus attente, mandantes, quatenus, sicut umquam honorem nostrum diligis et a nobis amplas premiorum retributiones expectas, modos et uias, quas eidem negotio conuenire cognoueris, operosus excogites, ingenium acuas, et cum sollicitudine, qua poteris, elaboras, qualiter locus ipse ad fidei nostrae semitas reducatur. 4. Nos enim promissiones omnes, pacta et conuentiones, quas ad honorem nostrum propterea duxeris faciendas, ratas habebimus et faciemus inuiolabiliter obseruari, temporis habilitate captata. 5. Ceterum nos, in manu forti et copia thesaurorum, sic ad ultimum exterminium nostrorum rebellium et statum pacificum fidelium procurandum, partes Ytaliae magnifice repetemus, quod rebellium ipsorum temeritas, qui de nostra forsan absentia gloriantur, diuina nobis assistente potentia, quae tueri nos iugiter consueuit, in aduentu nostri culminis euanesceat.